



V

100th

alt. Nr. 209.

Fürstenf. 2. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.

2c

DISPUTATIONUM THEOLOGICI-
CARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
CHRISTIANÆ ARTICULIS,
III.

De
CREATIONE MUN-
DI HOMINUM ET AN-
GELORUM

Quam

Favente primo fovente Numine
DEO UNO ET TRINO.

SUB PRÆSIDIO

VVOLFANGI FRANZII,
S. S. Theologiæ Doctoris & Profels.
in illustri VVittebergâ publici

Collegis examinandam proponit

M. GOTTFRIDUS RULICHIUS
Dresdensis.

In Templo arcis

Ad diem 9. Octobris horis consvetis.

VVITTEBERGAE
TYPIS JOHANNIS GORMANNI.

ANNO M. D. CXI.

Nobilissimis, Amplissimis, Praestantissimisq; Viris,
Dn. JOHANNI LAUGINGERO
D. JOH. BAPTISTAE HEINZELIO
D. JOH. LEONHARDO STAMLERO &
D. MARCO THENNIO:
Reipublicæ Augustanae Senatoribus Patricijs M. VVeissiani
Stipendij administratoribus fidelis. Dominis Me-
cœnatib. suis perpetuò colendis ;

S. P.

Condidit DEUS ter Opt. Max. hominem, Patres Patria lectissi-
mi, non turpe ad otium, sed ad suave negotium: ad creaturarum rerum con-
templationem & gratiarum actionem. Prius ex eo elucescit, quod Deus ipse ad Ada-
mū in Paradisum collocatum cuncta animalia adduxerit, & nominum illorum im-
positione, ad sedulam proprietatum naturæ illorum investigationem excitare &
ad diligentiore contemplationem invitare voluerit. Posterius verò inde patet,
quod fructum, non nisi una de arbore decerpere illi prohibuerit. Hoc enim si præ-
stitisset, gratum suum animum Deo quasi exhibuisset. Verum astu Demonis miserè
irretitus, pro grato, ingratum rependit, sicq; auream illam & divinam prorsus,
quâ omnium rerum causas in lucido ceu speculo contemplari potuit, noticiam ami-
sit, ut nunc totius posteritatis animus atrâ ignorantia caliginè volvatur, atq; adeò
ut licet mortales per omne suum tempus summâ assiduitate illam pellere sat agant,
& quandoq; etiam suo judicio aliquid obtineant: ad pristinam tamen non nisi cœcu-
tire videantur. Et ut aliquid, licet exiguum illud sit, in hac infirmitate sua ratio-
nalis nostra anima recuperare possit, sacrarum Scripturarū & literarum bonarum
studium divinitus datum & hominibus Gratiâ Dei donatum est. Inscititia enim e-
normis & plebejæ ruditatis nebulas animo quodammodo radijs suis stellarum in-
eorum splendidiâ movet scientia. Vnde etiam omnes ij, quorū beneficio, post Dei gra-
tiam & nutum, illam sectamur ceu numina secunda à Deo præfixa, nobis colendū
sunt. Quare cum & ego vest. Amplit. munificentia, ceu numini terreni benevo-
lentiâ, non hîc solum, verum etiam in incly. à Tubinga ad indagandam scientiam
caliginis ignorantia expultricem (ut ita loquar) sustentatus fuerim. IN GRATI-
ANIMI & benefic. collatorum symbolum presentem hanc disputationem publicè
dicare & nominibus vestris dedicare & sic per eam, ut in consueta munificentia
pergatis rogare & volui & debui. Vivite Patres Pat Vest. inclyti: Valete Mecœ-
nates augusti, augustè in Augustâ vestra augusta. ipsis Calendis Octobris. 1612.
Witebergæ.

V. Client M. G. R.



DE CREATIONE.

T H E S I S I.



DEU M oculis mentis nostræ, quantum ^{Connexio hu-}
in hac nostrâ infirmitate potuimus, in ^{jus cum præce-}
essentiâ, ut Scripturis revelata, unum; ^{dente.}
& in ὁμοούσιον trinum proximâ præce-
dente disputatione vidimus: nunc
verò in operibus eum, quantum pote-
rimus, videamus. Otiosus enim Deus noster esse non
potuit, potest, nec poterit. Ipse certè est, qui univer-
sa primo omnium condidit. Ipse etiam verbo manuq;
sua semel condita conservavit: & genus humanum
dolo dæmonis circumventum, inque atrox peccatum
prolapsum, è cœno penè inelectuabili instauravit. Il-
lius igitur tria maximè conspicua animadvertimus o- ^{Opera Dei}
pera, quorum unum primumq; universi erit Creatio; ^{tria.}
alterum illius Conservatio; tertium deniq; humani
generis redemptio.

II. Ad posteriora duo quod attinet nihil, aut profe- ^{1. Creationis.}
ctò parum in præsentia. Prius verò & quo ad nomen &
quo ad rem sive definitionem declaremus.

III. Nomen Creationis & imprimis Vox Hebræa, ^{N7D,} Nomen Crea-
homonyma est; & ad alias quandoq; Dei operationes ^{tionis homo-}
in Sacris transfertur literis. Et quidem I. ad genera- ^{nyma.}
tionem Physicam, quæ non è nihilo, sed per materiæ
seminationem alterationemve fieri solet: ut, *Pf. 104. 30.*

2. Esai. 54. 16.

Esa. 54, 16. Amos. 4, 13. II. ad præclarorum & singula-
rium eventuum effectiōem, quos (sive boni, sive mali
sint) Deus creare, id est, efficere dicitur. *Ierem. 31, 22.*
Esa. 4, 5. 45, 7. 46, 11. & 57, 19. III. Ad spiritualem re-
generationem; *Psal. 51, 12, Ephes. 2, 10.* IV. Ad ex præ-
existente quadam materia rerum novarum sive sub-
stantiarum productionem. *Genes. 1, 21. & 27.* V. Et
propriissimè entis ex nihilo mirandam signat eductio-
nem, quo modo Mundus ipse, omniaque quæ in eo
sunt, à DEO producta esse Sacris in literis perhiben-
tur.

*Creationis
definitio.*

IV. Rem sive definitionem quod attinet. Est Crea-
tio, prima solius Dei ter Opt. Max & præillustis actio,
quâ DEUS Pater, in principio per Filium in Spiritu
Sancto ex nihilo, solo nutu & Verbo omnipotente,
absque labore, motu, mutatione aut sui defatigatio-
ne, liberrimâ & optimâ suâ voluntate, univèrta quæ
in coelis & quæ in terra, visibilia & invisibilia, extra se,
propter semetipsum potētissimè præstantissimoq; or-
dine sex dierum spatio condidit, in quo ipse ab homi-
nibus agnoscat & colatur.

*Definitum
quomodo in-
intelligendum*

V. Definitum est Creatio, quæ intelligi debet, non
quod semel res à DEO ita conditæ sint, ut jam sine
DEI consilio consistant: sed DEUS gubernat eas & a-
getat assiduè, sicut in Actis Paulus inquit: *ἐν αὐτῷ ἐσθε
μὲν, καὶ ζῶμεν, καὶ κινεῖμεθα;* in eo sumus, vivimus, &
movemur. *cap. 17, 28.*

*Definitio qua-
lis.*

Causa efficiens

VI. Definitio est causalis, quæ I. Deum authorem,
& causam efficientem facit. Deus, unus in essentia &
trinus in personis *Gen 1, 26. Pater Act or. 4, 24. 1. Cor. 8, 6.*
per Filium *Eph. 1, 9. Joh. 1, 3, 10. Psal. 33, 6. 1. Cor. 8, 6. Col.*
*1, 16. Heb. 1, 2. in Spiritu Sancto Psal. 33, 6. Job. 33, 4. cum
cæta creasse legitur.*

VII. Causa

VII. Causa impulsiva est liberrimâ Dei voluntas, *Impulsiva.*
Psal. 115, 3. 135, v. 7. Apoc. 4, ver. ult.

II X. Materia, nulla est. Nam ex nihilo Coelum *Materia.*
& terram, hoc est, rudem indigestamq; molem creasse,
indeq; reliquas creaturas Deum efformasse Moyses te-
statur. *Gen. 1.*

IX. Forma partim in creationis modo, partim in *Forma.*
creatarum rerum ordine elucet. Unde etiam illa du-
plex creatio prima & secunda colligitur, Primâ rudis *Creatio du-*
illa & indigesta moles: alterâ Mundi ex rudi & indi- *plex.*
gestâ illâ mole machina distinguendo & ordinando
producta est.

X. Finis duplex est; respicit enim creatorem & crea- *Finis duplex.*
turam, Deum & hominem. Ille sacram Religionem,
quâ Deus unicè colendus: hic hominis sustentatio-
nem: ille *Proverb. 16, v. 4. Psal. 19, v. 2. Rō. 1, v. 2. Ephes. 3, v.*
9. hic Gen. 1, v. 28. indigitatur.

IX. Creationis itaque effectum Mundus est, cujus *Creationis ef-*
itidem nomen & definitionem consideremus *fectum Mun-*

XII. Nomen quod attinet, dictum est universonum *us.*
hoc, quod creatum est à Deo, à Latinis Mundus à mun- *Mundus unde*
dicie; summa quia inibi ante lapsum hominis mun- *dictus.*
dices; Græcis κόσμος vel ab ordine; quia omnia ibi καὶ τὰ
κόσμον modo & ratione, ordine & convenienter summâ
sapientiâ & inscrutabili prudentia disposita sunt: vel
ab ornatu, quia Mundus ceu domicilium quoddam
varijs picturis; varijs & pulcherrimis creaturis ad mi-
raculum usque condecoratus est.

XIII. Est enim mundus systema coeli & terræ, in *Mundus quid.*
temporis principio, (*Gen. 1, 1.*) ex nihilo solo nutu & ver-
bo omnipotentis Dei (*Psal. 33. Prov. 8, 24. Heb. 11, 3. Rom. 4,*

*Et un. causa
efficiens quæ?*

17 à Deo certo ordine extructum, ut esset habitaculum idoneum incolis, hominibus cæterisq; animantibus.

XIV. Causalis & hæc est descriptio. Efficiens namque Deus est, ut ex præcedente 6. th. patet.

XV. Hallucinati igitur sunt Anaxagoras, qui auctorem Mundi primū fecit ὄν architectricem mentē, quæ materiam confusam ab æterno & immobilem in motum traduxerit & in mundi formam disposuerit. Et Paracelsus, qui mysterium quoddam magnum, nescio ex quo auro, elementove aut salis spiritu, eruit, in quo mysterio omnes res actu confusæ per creationem tantum separatæ ac secretæ fuerint.

XVI. Risu imò explosione digni sunt, Cerdon, Marcion & Manes, qui insano suo delirio primitivam Ecclesiam ultra ducentos annos miserè turbarunt, & callidè à veritatis arce penè deturbarunt; dum duos sibi pariter æternos, invicem tamen cōtrarios effinxerunt Deos, quorum unus bonus auctorq; boni: alter malus auctorq; mali & mundi hujus, propter ἀτάξια, creator extiterit. Respuimus pari passu Valentini ἀίωνα, quarum trigessimū Diabolum creasse, & Mundi creatorem esse statuit. Sicut & Basilidis nugæ quæ Deum patrem per Angelorum Ministerium inferiores has & corporeas naturas produxisse vanissimâ linguâ effutit.

Mundi materia quæ?

Errarunt circa hanc.

Anaximander.

Anaximenes.

Democritus.

XVII. Materia nihilum est, sicut thes. 8 videre est.

Omnes igitur veterum Philosophorum Ethnicorum de Mundi materia opinioniones, non nisi errorum & ruditatis onera fuisse reputamus. Cæcutiebat miserè Philosophorum naturalium antiquissimus Anaximander, qui ἀπειρον quoddam σο. χείρον mundi materiam posuit, nec quodnam sit, professus fuit. Unde discipulus ejus Anaximenes putativâ sapientiâ inflatus aërem in

finem

finitem esse iudicavit. Quibus Democritus successit,
qui plebeo & rudi iudicio, atomos, insensibilia, quæ
in radijs solaribus micant, corpuscula, numero infinita,
ma teriam mundi somniavit, & ridiculè prætendit ex
illorum rotatione & concreione quadam fortuitâ ge-
nita fuisse quatuor elementa; ignem, aërem, terram &
aquam: exque his subinde infinitos generari & cor- *Epicurus.*
rumpi mundos. Cui & Epicurus, homo absq; solerti cu- *Empedocles.*
ra, ad stipulatus fuit. Nec non Empedocles, nisi quod pro
atomis chaos posuit lite & amicitia cõstans, cuius mo-
tu & quiete mûdus per vices alius oriatur, alius occidat.

XII X. Plato quoque ex materia præexistente co- *Plato.*
æterna, *ἄμυρα γένον* Deos, animas & elementa creasse; Deo
unculos verò creatos ex elementis reliqua effinxisse,
nullo certo fundamento existimavit.

XIX. Erroneum etiam est Stoicorum dogma, quo *Stoici.*
Deum ex se ipso Mundum produxisse commenti sunt:
sicut & Hermogenis qui ex materia præjacente & Deo *Hermogenes.*
coæterno Mundum extitisse voluit.

XX. Formam non nisi externam, quæ rotunda est *Forma.*
investigare possumus: nam quæ de Mundi anima Phi-
losophorum castris circumferuntur; huc non inveni-
mus; sed illis relinquimus.

XXI. Finis Mundi est gloria DEI, & hominum o- *Finis.*
mniumque animalium inhabitatio: quod innotescit
ex thes. X.

XXII. Circumstantiæ potissimum duæ hoc loco *Circumstantiæ*
probè attendendæ veniunt Tempus & ordo: id est, *due.*
quando & quomodo.

XXIII. Tempus respicit vel mundi ortum, vel in- *Tempus*
teritum. Mundi ortum factum esse in & cum temporis *ortus mundi.*
initio, vox Hebræa *בראשית* notat. Significat sanè
ראשית

חַיְתוּרָא principium & temporis, & ordinis & digni-
tatis, ac primitiarum nonnunquam ut *Levit. 23, 10.* Ve-
rùm hîc in cap. 1. Moſis temporis initium notat, quod
res unâ cum tempore, & tempus cum rebus eſſe cœpe-
rit; nec ab æterno fuerit: id quod ſignanter præfixa li-
tera Δ notatur; quæ *Prov. 8, v. 2.* omiſſa eſt, cum ibi S.
Sanctus, ſive Sapientia Dei, non de temporis initio, ſed
de æternitate ipſa loquatur.

*Patrum opi-
nio.*

XXIII. Nihil igitur aut parùm certè obtinet Pa-
trum quorundam pium quidem: ſed à genuino tamen
Moſis ſenſu alienum dogma, quo principium Myſti-
cum quod Chriſtus eſt, intelligere placuit. Moſes
enim non creatorem mundiq; authorem, ſed exordi-
um indicare, & errores Philoſophantium Agyptio-
rum de ejus æternitate taxare voluit.

*Error Philo-
ſis.*

XXIV. Nihil etiam utilitatis, ſed meram futilita-
tē Philonis hoc loco cōtinet opinio, qua ordinis prin-
cipium intelligendum & vocabulum omnium ſubau-
diendum retur: hiftoriæ enim creationis ſeries terram
prius quàm cœlum conditam eſſe reclamat. Unde
Pſal. 102. Initiò tu Domine terram fundaſti, dicitur, &
opera manuum tuarum cœli ſunt.

*Quâ anni
parte Mundus
creatus.*

XXV. Quando verò & qua anni parte Deus mundum
crearit num in Autumno aut Vere, haud conſicere li-
cet. Mundum verno tempore & quidem in Aprili pro-
ductum, ſicut Adamum non infantem, ſed Virum; &
Evam non puellulam, ſed adultam & viraginem for-
matam aliqui docent: Alijs tamen magis placet au-
tumnale tempus.

*Citiùs cur
non.*

XXVI. Citiùs autem cur creare noluerit DEUS,
inveſtigare curioſitatis; certi quid declarare temeri-
tatis erit. Hoc enim Deus conſultò celatum eſſe vo-
luj,

luit, ut modestiam fidei nostræ probaret. Et quæ Cre-
atura id retere potest, quod Deus tectum voluit.

XXVII. Terminum durationis, tempusq; consum-
mationis Mundi fore Sacris ex literis clarè percipimus *Mundi inter-*
tus certus:
tempus incer-
itum.
Psal. 102, 62 Matth. 13, 40. & 24, 35. 2. Pet. 3, 7. Quan-
do verò id futurum ex voluntate omnipotentis igno-
ramus. *Matth, 24, 26. & 42. 1. Thes. 5, v. 1.* Nam docu-
it quidem Dominus in Matthæo, multa extremorum
temporum signa: Verùm quando ea videbimus non
intelligemus, an adhuc ad justam mensuram pervene-
rint, ut pro illis ipsis habenda sint, quæ Dominus præ-
dixit. Sed satis est, ut sciamus hanc nostram ætatem
extremam esse, ita ut alia ulterius non sit expectanda.
Paremus igitur nos ad vigilandum & orandum, ne
oscitantes deprehendamus.

XXVIII. Modus productionis & ordo à Mose 1. *Modus produ-*
Geneleos assignatur. Modus verbo creandi. *ctionis.*

XXIX. Ordo, quia ut sapientissimus architectus non *Ordo cur ad-*
omnia simul, licet potuisset, creare voluit, sed sex die- *hibitus.*
rum spacio opus suum tam mirandum absolvit. In sex
autem dies opus suum digessit, ne molestum nobis es-
set in ejus consideratione toto vitæ cursu occupari. Et
licet hic obstrepat ratio humana, quasi hujusmodi pro-
gressus à potentia Dei alieni fuerint: Attamen sub
acta ad fidei obsequium eam discat quietem colere, ad
quam nos septimi diei sanctificatio invitat.

XXX. Ordo vero rerum nobis paternum Dei erga *Ordo ad quid*
genus humanum amorem considerandum graphicè *adhibitus.*
proponit; quòd non antè creavit Adam quam mundū
omnibonorum copia locupletasset.

XXXI. Idcirco à Terra ceu fundamento incepit. *A terra tur*
Hiac etiam Hebræis אָרֶץ à עָרַץ quod premere & tere- *initium.*

B

re po- *Terra Etymō.*

re potius, quàm à $\Upsilon\Upsilon\Upsilon$ quod currere significat, dictam esse nobis verisimile fit, pedibus quia ceu fundamentum domus magnæ ac magnificè constructæ à cunctis incolis teritur.

Terra quid.

XXXII. Est enim terra universi hujus basis, in primâ rerum creatione in principio à Deo ex nihilo rudis & indigesta, profunda aquarum abyssu demersa & tenebris obfuscata: post verò ab aquis segregata & vario ornatu condecorata.

Terra consideratio duplex.

XXXII. Consideranda igitur erit ratione creationis & perfectionis.

I. Ratione Creationis.

XXXIII. Ratione creationis erat inanis & desolata, limosa & tenebricosa, ut Moyses *Gen. 1. v. 2.* autor est.

I. Desolata & vacua.

XXXIV. Nam I. $\text{וְהָאָרֶץ וַחֲסֵדוֹתָא}$ (quæ septuaginta interpretibus $\alpha\beta\epsilon\gamma\tau\theta\upsilon\kappa\lambda\zeta\eta\theta\iota$ ἀναλασθένερασον invisibilem & inculam seu incompositam significat,) Vocabula hæc tribus in locis Sacrosanctæ scripturæ conjunguntur, ubi non nisi summam vastitatem & extremam omnium rerum confusionem signare intelliguntur. Citato nimirum *Gen. 1. loco Esa. 34, 11. & Jerem. 4, 23.*

**Cur terra ini-
tio vasta con-
ditâ.**

XXXV. Vastam & desolatâ Deus creare voluit, ne ut Beatus Ambrosius *lib. 1. hex. c. 7.* ait *in creata & sine principio crederetur, si species rerum velut ingenerata ab initio*

I. Ratio Ambrosij.

non postea addita viderentur. Chrysostomus etiam assignat, dum illam desolatam creatam primo ait, *ideo ut*

II. Chrysostom.

ne homines (quorum mater ratione ortus, nutritrix ratione sustentationis, patria ratione sepelitionis, est) obusus necessitatem plus quàm dignum est eam venerentur, Moses ostendit primùm eam rudem & absq. forma fuisse: ut ne beneficia terre telluris nature imputes, sed ei tribuas, quæ illam ex nihilo ut esset creavit.

Error Philosophorum & Iudæorum

XXXVI. Videant igitur ij qui cum Philosophis hoc loco *Gen.* primam significari materiam dicunt, quid dicant.



dicant. Cum errantibus Judæis haut absimiles sint, qui per \aleph primam materiam informem: per \beth verò privationem formæ & appetentiam intelligunt.

XXXVII. Deinde erat aquis immersa, sive limosa. *I. Terra conditio.*
omnia enim, omnesq; regiones aquis sive abyssis aquarum *At omnia a-*
oppletæ fuerunt, id quod ex Divi Petri Epist. 2, cap 3. *quis immersa.*
elicere attendenti facile est. Multò enim plus aquæ
quam terræ vasta illa primæva moles habuit, quam
chaos ratione molis aquæ & confusæ rectè dixere ve-
teres: ab Hebræo \aleph seu etiã Græco $\chi\epsilon\iota\omicron$ fundo, quasi *Chaos rectè*
liquidum confusum. Indirectè verò & perperam Poë- *& non rectè*
tæ Ethnicorum, qui id omnium rerum semina, mate- *dicitur.*
riam & formam, imò res ipsas confusas tamen in se *III. Terra*
potentiã vel actu continuisse somniant. *conditio.*

XXXIX. Tertio tenebris involuta. Erant a. tenebræ *Tenebræ quid.*
lucis negatio, qualitas massæ rudis privativa, imò me- *Quando &*
rum nihil: ut tenebræ in oculis clausis vel cæcis. Exti- *ubi existe-*
terant verò cum terra & abyssis in superficie abyssi, in *runt.*
aquofo illo & limoso corpore.

XXXIX. Non igitur potestates erant malæ, ut Mar- *Errant Mar-*
cionitæ & Manichæi voluerunt. Nec ignis elementa- *cionite & Ma-*
ris, quem Hebræi quidam, & alij terræ & aquæ concrea- *nichæi.*
tum opinati fuerunt. Nam quod per hanc primi diei *Hebræi.*
terram elementum terræ; per aquam aquæ; per tene-
bras ignis: per Spiritum deniq; foventem aëris Elemē-
tum quidam intelligunt; ratione carere omni videtur.

XL. Nec etiam æternæ erant sive ortum, seu interi- *Tenebræ æ-*
tū earum spectes. Ut Manichæi somniarunt. Coeperūt *eternæ.*
enim cum abyssis, & defecerunt nocte elapsa unâ &
prima, figuræ luce, quâ ceu primo ornatu Mundum
intus condecoravit Deus die creationis primo.

XLI. Lux autem primogenea non merum accidens *Lux quid.*
sed substantia quædam durabilis quidem, rudior

B 2

tamen

tamen & imperfectior, quæ cum die postmodum quarto, virtute Dei perfecta & consummata ac in solem potissimum recõdita fuit: approbante calculo erudito Reverendi & Clar. Dn. Doct. Hurteri præceptoris mei p. c. in diexodo sua locorum Communium Philippi artic. 3. Quæst. 7.

*Lucis sub-
jectum.*

*Errant Au-
gust. Eucherius
in Com-
ment. in Ge-
nesin.*

*Damasceus
& alij.*

XLII. Nõ en. absq; subjecto & immaterialis erat quas litas: sed verè in superficie aquarũ ita *collustrata*, ut tota perspicuè cerni posset dispersa, & ex nihilo producta.

*XLIII. Face-
ssant igitur & quo
digni sunt suis com-
mentis abeant; qui
Spiritualem hanc lucem
fecerunt, & angelos
intellexerunt. Ut
Eucherius & Augustinus.
concomitentur eos
Damasceus qui
lib. 2. c. 7. orth. fid.
elementum vulgatum
ignis fuisse putat.
Nec non illi qui
solem nubeculamve
luminosam putarunt.
Et hæc de creatione
terræ.*

*II. Ratione
perfectionis:
Terra quid.*

XLIV. Ratione verò perfectionis, terra basis est in medio universi à Deo librata, & suis ponderibus firma: consistens nihilo incumbit, figuræ rotundæ, multis in locis extuberans, aliis excavata, ut unũ cum aquis globũ efficiat: mēsuræ ejus omnĩ parte specialissima incognita: basis ejus nulla præter verbum Dei quo sustinetur: quod idē est ac lapis angularis, quo partes ejus inter se cohærent. Hujus testum seu culmen est Cælum, terræ quasi superimpositũ. Parietes q. sunt aquæ, quibus terra circũdata est. Incolæ sunt, animalia rationalia & irrationalia: Ornatq; sũt arbores, plãtæ, herbæ, gramina & germina, de quib9, singulis singulatim dicem9.

*Cælum in
Scriptura:
triplex.
II. Aereum.*

XLV. Cælum in Scriptura triplex occurrit: primum ceu infimum dicitur creatum aëreum, tribus constans regionibus; Cujus infima per expansum, secundum quorundam placitum intelligitur; cum sub ea aquæ elementares sint & supra eam nubes. Secundum

Cælum

coelum est supremum creatum seu omnes illæ Spheræ ^{II. Supre-}
superiores, inter quas præcipua est octava, varijs exor- ^{mum creatib}
nata stellis; quæ luminaria dicuntur minora: sicut Lu-
na & Sol magna lucis vehicula: insignia rerum natu-
ralium (*Matth. 16, 2*) Civilium, (ut Virgilæ semina-
tionis &c.) & spiritualium, (gratiæ) non genealogico-
rum fatalium horarum minutarumve hominum ere-
cta. Tertium innuitur extra priorum duorum sorte in
ipsa beatorum sedes, in quam assumptus est Enoch & E- ^{III. Beatorum}
lias: quo ascendit Christus, & raptus est Paulus Apo- ^{sedes.}
stolus. Utrautem, coelum & quale gaudium in illo,
hoc maxima ex parte nos latet.

XLVI. Aquæ quibus terra, non omnimodo tamen, ^{Aqua dicitur}
segregata est, dicuntur unico verbo Mare. ^{tur Mare.}

XLVII. Nam Mare aquarum colluvies seu multi- ^{Mare quid.}
tudo est, jussu DEI in unum locum primitus aggregata,
certisq; limitibus non astrorum, sed divinorum ver-
borum vi conclusa, *Job. 38, 8. Psal. 104, 9. & Jer. 5, 22.*

XLVIII. Motum, situm, ætatem, magnitudinem,
latitudinem terræ, cœli, astrorum, marisq; ijs relin-
quimus, quorum indagare est. Et nos ad animalium
creationem exponendam accingimus.

XLIX. Animalia autem sunt vel ex aqua, vel terra ^{Animalia du-}
producta. Ex aqua sunt omnis generis pisces, & volu- ^{plicia.}
cres cœli, quæ sub expanso, seu infima aëris regione ^{Ex aqua.}
volitant, ut Moyses *Genes. 1, v. 2*, testatur. Ex terra sunt ^{Ex terra, &}
duplicia: quædam enim ut irrationalia cuncta super ^{quidem dupli-}
terram gradientia è terra ceu matris utero ad ver- ^{cia}
bum DEI effusa. Alia singulari modo ut homines à ^{Irrationalia,}
Deo ex terræ gleba formata. ^{Rationalia.}

L. Irrationalium ex terra productorum tria diversa ^{Irrationali-}
secundum quosdam sunt genera, diversis etiam nomi- ^{genera tria-}
nibus. ^{nibus.}

nibus insignita. Primum est jumentorum, seu pecorum, cujus modi præcipuè sunt equi, boves, asini, sues, oves &c. quibus cum ad operas quotidianas, tum ad cibum utimur, usibus & necessitatibus hominum destinatis. Hebræis חַיָּוִּיָּה *Onēia* Sep. dicuntur, quia naturâ sunt mitia, herbis victitantia & hominum laboribus inservientia. Unde & jumenta à juvando dicta. Secundum est reptilium, quæ vel toto corpore super terram, seu humi repant, vel pedibus brevioribus paululum sublevantur & nonnihil tamen repere videntur. Illius generis sunt serpentes & vermes: hujus verò stelliones, talpæ & mustelæ nec non Dracones. Hebræis שָׂרָפִים Græcis ἑρπῖς nuncupantur. Tertium denique genus est belluarum, quæ ferinæ & truculentæ sunt animæ, ut Leo, Elephas, Ursus, &c. Hebræis חַיָּוִּיָּה Græcis κλύη dicta.

*Rationale
homo.*

LII. Rationale verò animal homo est, inter omnia DEI opera nobilissimum, ac maximè spectabile, justitiæ, sapientiæ & divinæ bonitatis specimen, singulari modo à DEO creatum. Unde etiam Veteribus *μινερόνοσμο* dictum.

*Homo consilio
deliberato
creatus.*

LIII. Ipse enim DEUS omnium rerum conditor secunda ratione *ὑποστάσιως* non *ἁπλῶς* consilium de illo creando instituit: deliberato consilio glebam terræ rubræ eligit: à reliqua terrâ segregat & corpus humanum efformat. Sicq; ceu figulus vas testaceum effingit, nec illud animare modo dignatus fuit: sed immortalis etjam spiritus domicilium esse voluit.

Anima quid.

LXIII. Anima enim est essentia spiritualis, immortalis, toto in corpore tota, creata tamen, hominis primè è limo terræ corpori formato in prima omnium creatione à DEO inspirata, & hinc in universum genus humanum per traducem propagata, ex qua & corpore constat homo.

LXXIV;

LXIV. Hominis igitur & nomen & definitionem paulò altius consideremus.

LXV. Nomen quod attrinet, illud in Sacris duplex reperitur, unum prout erat homo ante lapsum in creati-

Hominis no-
men Hebraicum
duplex.

one; alterum prout nunc est post lapsum in huius vitæ sustēratione. Illo insignitur ratione originis & אָדָם ab אֶדְמָה terra rubra, ex qua homo in innocētiae statu formatus est Gen. 1, & 2-dicitur: hoc verò ratione infirmi-

Græcum.

tatis & præsentis mortalium status cōditionis ac אָנִישׁ

Latinum.

Psal. 8. indigitatur. Græcis ἀνθρώπος ab ἀνω & ἔπειεν vel ἀνω ἰσπεῖν ὠπῶ sursum tollere vultū; Latinis homo, ab humo quod vel ex eo sit, vel in eo vivat, vel deniq; in humum mortuus sepeliatur. Germanis Mensch / q. Man āsch, seu nur āsch. q. d. merus cinis, secūdū quosdā.

Germanicum

Hominis defi-
nitio Mosaica.

LXVI. Definitionē quod concernit, ita eam ex Mose pro Adamo informatā damus. Homo est animal à Deo secundū corpus è limo terræ formatū, cui spiraculum vitarum, id est, anima nō vegetativa sensitiva aut motiva solūm, sed & intellectiva ac rationalis ab eodem conditore non multiplex, sed una in naris inspirata, sicq; ratione præditū, dominium in cuncta animalia & terræ germina obtinens, ad DEUM glorificandum, secundum imaginem eius creatum.

Hominis cau-
sa efficiens.

LXVII. Efficiens causa Deus est, non Prometheus aut genius Platonicus: sed DEUS unus solus & verus, Iehova; DEUS Pater æternus Ies. 64, 8. Filius Iob, 1, 3, 4. & Spiritus Sanctus Iob, 33, 4. Et piæ sunt cogitationes eorum, qui filiū Dei assumptā humanā specie hominis formationem administrasse, (qui Patribus etiam postea sæpè locutus in V. T. tali forma multoties legitur) iudicant. Quas tamen hoc loco illis relinquimus.

LXVIII. Materia hominis non est nihil, ut fuit materia Mundi in genere, nec materia aliqua coelestis &

preciosa; nec aurum; sed vilis & sordida: limus terræ,
ceu ut quidam autumant argilla, ut homo se fragi-
lem agnosceret & humilitati studeret. Eximium ta-
men est, quod homo etiam juxta corpus immediatè à
DEO Dei quasi manu formatus & maximè secundum
animam in imagine ejus efformatus: imò quod ulte-
rius corporis figurâ erectâ, membrorum & partium
harmonia singulariter dispositâ, nec non viribus &
statut. à integrâ præ reliquis informatus auctusq; fuit.

Forma.
Externa
Interna.

LXX Forma hominis Interna est anima rationalis,
imaginis DEI vehiculum cum corpore unum consti-
tuens ὁ φ. ἡ ἀμενῶν. Nam licet externa species, quatenus
nos à brutis animalibus distinguit ac separat, DEO si-
mul quasi propius adjungit: Imago tamen DEI ma-
ximè spiritualis est, & maximè propriam suam sedem
in anima habet.

Imago Dei in
homine quid.

LXXI. Imago enim Dei potissimum integritas il-
la est, quâ Adam præditus fuit, cum rectâ intelligentia
polleret, affectus ad rationem compositos haberet, o-
mnes sensus recto ordine temperatos, verèq; dotibus
eximijs opificis sui excellentiam referret. Sicut A-
postolus Paulus imaginem hanc, qualitatum & omni-
um virtutum perfectione describit *Ephes. 4, 2. Col. 3, 9.*

Ratio.

LXXII. Idem in hominis creatione summum e-
minentissimumq; gradum tenuisse necesse est: quod
in imaginis DEI renovatione præcipuum fuit. Vera
nimirum pietas, justitia, puritas, intelligentia: lux in
mente; rectitudo in corde, & in omnibus partibus sa-
nitas; quæ non modo ad terrenæ vitæ gubernationem
superiissent, sed quibus ad DEUM & æternam felicita-
tem transcendissent.

Homini libe-

LXXIII. In illa quoq; integritate homo libero ar-
bitrio

bitrio præditus fuit, quo si vellet, vitam æternam adi-^{rum arbitri-}
pisci posset. Sed quia ab usum illius admisit: in pecca-^{um datum}
tum prolapsus est & se ipsam perdendo, omnia sua bo-^{erat.}
na corripit.

LXXIV. Excusabilis igitur neutiquam est homo, ^{Homo non ex-}
quasi imbecillis ejus fuisset facultas: Nam & ex altera ^{cusabilis, quod}
parte habebat repagula legis, quæ lapsum omnem pro-^{imbecillis.}
hibebat.

LXXV. Finis est gloria DEI, celebratio nominis ^{Finis homi-}
ejus. Idcirco eum externa quoq; fælicitate ceu suaveo-^{nis.}
lenti aquâ undiq; perfudit.

LXXVI. In hortum enim amænitatis, ubi arbo-^{Hominis Ex-}
rum proceritas, fructuum suavitas, fluminum lenitas, ^{terna felici-}
avium concentus, cunctorum animalium concinni-^{tas.}
tas & omnium deliciarum erat abundantia, formatum
hominem collocavit, in cunctas animalium species
imperium illi elocavit: Imò interno quodam instinctu
ut spontè venirent movendo, non per Angelos, ut Au-
gustinus credidit, nec valido aliquo vento, illa ipsa ho-
mini adduxit, ut homo nomina singulis inderet, & sic
sapientiæ suæ specimen ederet:

LXXVII. Cum verò adjutorium nullum inven-^{Sociæ huma-}
tum homini esset, & solus sociæ destitueretur, miran-^{na creatio.}
do prorùs modo, soporem profundum, (quem Græci
LXX. ἑκτασιον nuncupant) ne tam divinæ peragendæ
operationis spectator, quã peractæ admirator esset, ei
immisit, lateri absq; dolore costam exemit, hiatum
carne occlusit, & ex costa animatam viraginem insi-
gnis pulchritudinis ædificavit; Adamo adduxit & in
Matrimonium desponsavit, ut adjutorium esset pie-
tatis, sociæ cohabitationis & conversationis dulcissi-

C

mæ, ju-

*Homo cur in
Paradiso non
perstiterit.*

Sinæ, iuvamen generationis & liberorum educatio-
nis, humaniq; generis propagationis suavissimæ, nec
non dulce Oeconomix futuræ levamen.

*Visibiles & in-
visibiles Dei
creatura.*

LXXVIII. In hac tam insigni amantate, tantaq; o-
mnium rerum voluptate homo diu persistere non po-
tuit, imò non voluit, mandatum quia Conditoris sui,
quod præter legem moralem præcipuum ceremoni-
ale erat & in prohibitione esus fructuum arboris vitæ
scientiæve boni & mali constiterat, incautè prævari-
catus fuit. Unde etiam ab eodem unà cum suâ Evâ ex
viridario amano in atra miseriarum nemora & hor-
rendum calamitarum nimbum eiectus fuit, non Dei
sed sua culpa, plus quia Ceraturæ, quam Creatori:
plus quia spiritui creato, quam Spirituū Creatori cre-
didit, & credendo obedivit.

*Invisibiles An-
geli.
Angeli vox ho-
monyma.*

LXXIX. Non enim Deus visibiles saltem & haeste-
nus enumeratas condidit creaturas. Verum etiam in-
visibiles, incorporeas, Angelos nimirum.

Celestes

LXXX. Est autem vox Angeli æquivoca, quæ gene-
raliter quemvis legatum à Deo missum significat: ut
Malach. 3. præcursorem Christi, sive Johannem Bap-
tistam à Deo in terras missum, ut paret vias Domino, si-
cut videre est *Matth. 11, 20. Marc. 1, 2*. Sicut & filius Dei
ipse nomine hoc insignitur *Gen 31, 11*. Et omnes Eccle-
siæ doctores Angeli nuncupantur *Esa. 33, 7. Mal. 2, 7. A-
poc. 2, 1*. Specialiter verò creatos Spiritus vocat *Psal.
104, 4*. Ethæc huc quadrat.

Angeli quid.

LXXXI. Sunt enim Angeli Spiritus à Deo in boni-
tate & veritate ineffabili intelligentia & virtute con-
diti, ut Deum celebrent, hominibus inserviant & feli-
citate æterna fruantur.

Spiri-

LXXXII. Spiritus esse ex *Psal. 104, 4. & Heb. 1, 7.* satis Angeli sane
constat. Spiritus.

LXXXIII. Creatos esse à Deo apud eum qui cæcus Angeli sunt
animi non est, dubium esse non potest. Quo tempore Creati.
autem creati, fuerint non satis ex Scriptura liquet. Quando.
Ante hominem quidem conditos fuisse ex analogia
scripturarum illarum eruditi aliqui colligere volunt,
in quibus ponuntur ante homines, ut *Psal. 148. & 38.*

Job. v. 7.

LXXXIV. Sic Creati fuissent in ipso Mundi exor- Cur in Mundi
di exordio.
dio, ut magnalium Dei essent spectatores reliquiq; o-
peris contemplatores & gratiarum actores: non ut
ejus coadjutores. Nemo enim nisi sola sapientia
Deo adfuit, cuncta cum illo disponens *Proverb. 8, 22.*

LXXXV. Non autem sine causa Sacrosancta Scri- S. S. cur nihil
expresse de An-
gelis tradide-
rit.
ptura eorum ortum expressissimum reticuit, & no-
stram perversitatem suppressere voluit. Nam si ante
Mundi ortum producti scriberentur. Deus nobis illo-
rum opera alia producendo usus videri posset: & for-
san hominum proclivitati ad Idololatriam occasio
data fuisset.

LXXXVI. Licet enim honorandi; non tamen & a- Angeli hono-
randi non ado-
randi.
dorandi sunt. Honor namq; suus etiam ex parte Crea-
turis habendus est: Sed non nisi Creator adorandus;
sic verendi sunt *1. Tim. 5, 11. & Matth. 18.* Sed non ve-
nerandi, ut patet ex *Judicum 13, 6. Apocal. 19, 10. 22, 9.*
Matth. 4, 10.

LXXXVII. Nam licet Scriptura eorum insignem Non perfectio
solam sed &
defectio illo-
rum in Scri-
ptura.
commendet naturam, dignitatem, perfectionem, co-
gnitionem ac liberam voluntatem; tamen exponit et-
iam quorundam horrendam defectionem lapsum-
que.

Perfektio.

LXXXVIII. Priora accinit Psalmographus *Psal. 104, 4.* & auctor epistolæ ad Hebræos *cap. 1.* ubi ait, Creare DEUM angelos suos Spiritus & ministros ignem flammantem: quod idem est ac si dixisset, Angeli tui creaturæ sunt incorporeæ invisibiles atq; instar ignitæ naturæ, ad ministerium tuum ordinatæ.

Ignitæ naturæ.

LXXXIX. Quasi ignitæ naturæ sunt & dicuntur, propter indolem quandam quasi igneam: ut nimirum sciamus in morem ignis esse puros, suo modo lucidos, splendidos, sublimes, agiles, subriles, celeres, eximia agendi potestate præditos, nihil ponderis crassitudinis aut impedimenti in se habentes.

Ministri DEI.

XC. Ministri DEI sunt, utpote per quos, quando, quomodo & ubi visum est res maximas, quibus suam tum misericordiam, tum justitiam, pariterq; amplissimam potentiam patefaciat, exequitur. *Actor. 7, v. 30. Gal. 3, v. 19. Dan. 3, v. 93. 6, v. 22. Luc. 2, v. 19. Gen. 16, 17. 1. Reg. 19, v. 5, 7. ad Hebræos 2, v. 2.*

Angeli quid non sint.

XCI. Non igitur motus vel affectiones in nobis animorum subinde tacitè irrepentes dici aut credi debent. Si enim essent occultæ tantum inspirationes siue motus, non interdum visibili forma assumpta sanctis hominibus apparuissent. Imò actiones internæ externæque tam præclaræ & arduæ ijs nõ competere. Nec numero per Myriades distinguerentur: nec denique illis similes electi dicerentur futuri. *Matth. 24. 37. & 22. 30.*

Cognitionis angelorum tres gradus. 1. Cognitionis.

XCII. Cognitionem Angelorum quod attinet, ejus gradus tres colliguntur. I. est Cognitionis, quæ illis ab initio cum à DEO crearentur, indita est, & per naturam suam maximè convenit. Amplissima nimirum veritatis notitia & scientia. Unde & *Joh. 8.* testatur, quod

quod ab initio in veritate steterint. II. Revelationis.
Addiscunt enim temporis progressu, & proficiunt di- ^{II. Revelatio-}
scendo, ubi Deus nonnulla ex arcanis suis illis reve- ^{nis.}
lare dignatur. *Daniel. 8. 9.* Mysterium hebdomadarum
Luc. 1. Baptista & Christi nativitas. Sic cognoscent,
suo tempore Tempus iudicij *Mat. 24. v. 31. 25, 31. 1. Thes. 4.*
v. 16. 2. Thes. 1. v. 8. III. Experientia. Ex ijs enim quae ^{III. Experi-}
ab hominibus quotidie perficiuntur, cognoscunt su- ^{rentia.}
binde permulta *Ephes. 3. v. 10. Luc. 15. v. 10.*

XCIII. Voluntas insuper libera ex Judae & Petri ^{Angelorum}
verbis sat innotescit *Juda. 1. v. 6. 2. Petri. 2. v. 11.* Unde ^{voluntas libe-}
etiam de Malis dicitur *Job. 8.* Mendacium de suo lo- ^{ra.}
quuntur.

XCIV. Peccatum denique & lapsus *Joh. 8.* à Christo ^{Defectio An-}
ipso exprimitur. Quod in veritate non steterunt. De- ^{gelorum.}
serere agnitam veritatem & huic se quocunq; modo
opponere, peccatum est gravissimum, & damnationi
aeternae promerendae sufficiens. Nec opus est ut quae
Esaie. 14. de regis Babylonij superbia, aut *Ezech. 28.*
de regis Tyri ambitu dicuntur huc referantur.

XCIV. Veritate enim amissa fieri non potest, quin
simul bona universa amittantur, & peccata ut super-
bia, Mendacia & Invidia, aliaque ejus generis sequan-
tur. Superbia quod spectat, illa ex eo quod *Gen. 3.* paren-
tibus primis suggestit, ut Deo similes esse appetent, sa-
tis liquet. Mendacium ex eo quando dicit nequaquam
moriemini. Invidia Sipientiae 2. assignatur.

XCVI. Cum autem non omnes lapsi fuerint, sed ^{Cur discrimen}
aliqui gratiam divinam in veritate perstiterint & à Deo ut ^{qualitatis, of-}
labi jam non possint multa sua misericordia confir- ^{ficio- & fe-}
mati sint; qualitatis, officiorum & felicitatis aliquod ^{licitatis Ang.}
discrimen erit. ^{evenit.}

C 3

Discri-

**Bonorum e-
qualitas.**

XCVII. Discrimen. I. in bonitate & malitie eorum consistet, ut quidam sint & dicantur boni; quidam mali. Boni dicuntur, quia in bonitate, quâ primum creati fuere, perstiterunt, & à DEO in ea confirmati sunt, bonisq; & proprijs suis officijs, ad quæ à DEO creati sunt, sedulo funguntur ac æternâ felicitate fruuntur; Unde etiam *1. Timoth. 5, 21.* electi vocantur.

Officia.

XCVIII. Officia eorum sunt. I. perpetuò assistere DEO, laudare ac celebrare eam; & ad jussa capeffenda paratum esse *Psal. 103, 29. 148, 2. Esa. 6, 3. Luc. 2, 13. Apoc. 5, 12.* II. Docent & revelant nobis mysteria & voluntatem DEI ut jussi sunt. Ac modo in somnis dormientibus ut *Matth. 1.* Josepho; modo vigilantibus quædam suggerunt; ne decipiantur. Nihil enim pugnans cum Scriptura proponunt *Gal. 1.* III. Sunt speculatores & actionum nostrarum assidui observatores tam publicarum, quam privatarum & ubique nos juvare parati. Hinc propter eos mulier caput in sacris coetibus regere jubetur *1. Cor. 11, 10.* IV. Mœstos & afflictos consolantur, illisq; consilia & auxilia suppeditant *Gen. 32, 1.* V. Contra hostes defendunt & periculis liberant. *Act. 12.* Petrum è carcere.

Felicitas.

XCIX. Felicitatem eorum consideremus, prout nunc est, antè judiciũ extremum & prout post erit. Illa in eo I. consistit, quod assistant, perpetuo DEO *Dan. 7, 10.* Quod videant faciẽ Patris cœlestis & intueantur Christum sedentem ad dexteram Patris *Matt. 18, 11.* Quod mittantur ad ministeria diversa eademq; omnia præclara, honorifica & plena dignitatis. III. Quod non amplius metuant lapsum, utpote quos DEUS dignatus est in gratia conservare, quin etiam omnia dona

bona in ipsis augere & illustrare, ut eminentiora sint quam erant ante: Unde etiam non nisi ad bonum se semper convertunt. Hæc posterior Angelorum felicitas inde elucet. I. Quod tunc gloriam undique plenam & consummatam accipient. II. Illorum gaudium & gloria ob Christi gloriam accrescet, cui tunc etiam omnia, mors & infernus, subiecta conspiciuntur.

C. Angeli insuper hi, quo ad naturam, omnes æquali bonitate præditi sunt, eisdem speciei, cuncti mandata DEI exequentur. Quo ad officia autem, dumq; omnia ordinatè ab illis fiunt & minimè confuse ordines aliquos inter eos esse non dubitamus: cum pro officiorum diversitate diversa sortiantur nomina. Nam quod illos veluti inter nuncios DEUS adhibet, Angeli dicuntur. Idem quia ut satellites principem suum circumdant, majestatem ejus quasi exornant & conspicuam reddunt, ac simul ut annuerit, in opere sunt; Exercitus vocantur. Virtutes verò quia vim & fortitudinem manus suæ Dominus per ipsos mirabiliter exerit. Principatus, potestates, dominationes, suum quia in Mundo imperium per eos administrat DEUS; Throni, cum gloria DEI in illis quodammodo resideat. Cherubin denique & Seraphim alari, quia incredibili celeritate semper ad auxilium nobis ferendum præsentem existunt.

CL. Et DEUS per eos potius, quam per se sine ipsorum opera potentiam suam declarat, fidelium salutem curat, suæque beneficentiæ dona ipsis communicat: non necessitate, quasi illis carere nequeat: nam

*Angelorum
ordo non quoad
naturam
sed quoad of-
ficia.*

*Cur operibus
Angelorum
operatur DEUS.*

quoties

quoties libet ipsis præteritis opus suum peragit vel solo nutu. Sed ad solatium nostræ imbecillitatis facit, ne quid omninò quod animis nostris vel in bonam spem erigendis, vel in securitate confirmandis valeat, desideremus.

*Ordine scer-
tos & numerū
investigare
temerariorum
est.*

CII. Horum verò Angelorum illos perpetuos distinguemus ordines, quos Pontificij comminiscuntur, proinde etiam illum, certum eorum numerum ac illos dignitatis gradus in singulis statuere, quod Pontificij faciunt, hominum curiosorum & temerariorum est. Hinc ipse etiam Augustinus in Enchirid. ad Laurentium. c. 29. Numerus ait civium beatorum, siue qui est, siue qui futurus est in contemplatione, ejus est artificis, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: atq; in mensura & numero & pondere cuncta disponit.

*Sicut & mo-
dum quo cor-
pori appa-
rent.*

CIII. Sicut etiam curiositatis ejusdem est, nimis scrupulosè indagare modum, unde & quomodo corpora boni assumat Angeli, utrum quomodoq; ex inferioribus rebus elementaribus corporeisq; eadem sibi ipsi forment: & utrum quomodoq; verè an phantasticè comedant. Cum illius cognitio nobis non multum prodesse, nec hujus ignorantia obesse possit.

*Gratia DEI
quod adsint
nobis nec in-
quirendum
quando.*

CIV. Sufficiat etiam nobis gratia DEI, quod secundum eam non unum tantum, sed plures sæpenu-mero de pij unius salute sollicitos esse Angelos ex Sacris cognoscimus literis. Nec laboremus inquirere multū & anxie, an strictissimè perpetuò adsint. Quod pro tempore periculorum designentur plures, videtur colligi posse ex *Genes. 32.*

*Transitio à
bonis ad ma-
los.
Malorum.*

CV. A bonorum Angelorum cognitione transeamus ad malorum notitiæ investigationem.

CVI. Sunt autem mali & nomine & officijs & infelicitate

licitate bonis è diametro contrarij, non tamen à Deo quodam malo, ut Manichæi & Priscillianistæ impiè olim contenderunt, tales ab initio creati; sed ob effectus malos, mali nuncupati.

CVII. Nam Serpentes *Gen. 3.* & *Apoc. 12.* propter astutiam; Dracones ibid. propter crudelitatis vehementiam; tentatores propter simulationis impudentiam: *πεινησι* propter malitiam & *διδυμοι*, propter calumniam in Scriptura passim dicuntur. Nomen.

CVIII. Et licet nihil quidem directe adversus Dei personam efficere valeant: in his tamen quæ ad Dei illustrandam augendamq; gloriam spectant impediendis, minuendis tollendisq; & possunt & laborant plurimum. Unde I. in Angelos lucis se transformant: religionem simulant & Ecclesiam turbant. II. Pij insidiantur noctes diesq;. III. Animos illorum nonnunquam ita concutiunt, ut variis tentationum fluctibus acti, de religionis sinceritate subdubitare incipiant & quandoq; à fide excidant. IV. Ad hominibus nocendum homines provocant, & ad cuncta flagitia, queis DEUS & creaturæ ejus molestantur, incitant. Officia.

CIX. Unde etiam non ut boni felicitate æterna fruantur, sed pænis infinitis miserè dignè tamen cruciantur. Nam, I. priori suo domicilio ejecti, in densa caligine aëreve caliginoso servantur, ut ex Judæ Epistola liquet. II. conspectu Dei & filij ejus privati, non nisi cum tremore & timore judicem Deum expavescentes nonnunquam filius Dei bonis sese immiscant. III. Deniq; in malo sic obdurati sunt, ut instaurationem non sperent; donis etiam quæ per natu-

D

ram

ram habent omnimodo abutuntur & ad malum contra Deum & homines nullo non tempore utuntur. Uude etiam I. in die Judicij æternæ damnationi & vinculis ignibusq; perpetuis addicentur, attestante Juda in Epist. sua & Christo Marah, 25. Deinde etiam præterquam quod ipsi in sese gravissimè torquebuntur ob primum lapsum; pænæ tamen illorum acerbiores erunt, simul propter flagitia & enormia scelera quæ post lapsum perpetrarunt.

Descriptio.

CX. Ex his & similibus claret, Angelos malos Spiritus esse ratione primæ creationis à Deo in bonitate cum reliquis pari creatos, malos suâ malitia & superbia effectos; queis DEUS ad puniendos malos utitur: Quiq; homines infestant & ad mala Deo hominibusq; inferenda concitant.

Quæst. I.

Quomodo Diaboli homines infestent.

CXI. Quomodo autem homines vivos invadant, & in eorundem corporibus agant, multum disquiritur, & substantialiterne corda seu corpora, an tantum effectu malitiæ ingrediantur. Verum ut rem paucis expeditam demus. Certum est qui Spiritus sunt, ingredi hominum corpora eo modo possunt, qui ab hominibus potius sentiri, quam ratione deprehendi, vel oratione exprimi queat, & quem Dominus illi præstituit: Jam verò loquitur Diabolus per illa corpora tanquam instrumenta idonea, & cum summa hominum admiratione ac pernicie quicquid liber, perficit, eo prorsus modo, quo olim per serpentem locutus Evam decepit. Ait verò *Chrysostr. Hom. 16. in Genes.* Verba illa ad Evam facta erant ipsius Diaboli; sed ingressi in serpentis corpus, quo tanquam instrumentum

strumento ad formandam ^{ad} vocem & fallendam Evam
usus est. Cū quo & Augustin. de Genesi ad lit. *lib. 11. c. 27.*
consentit, qui cap. sequente inferre minimè erubescit,
quod serpens sonos, qui ex se fiebant non intellexerit.
Neque enim conversa credenda est anima ejus in na-
turam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines
à Dæmonæ, obsessi, quid loquantur, colloquētes sciunt.

CXII. An præterea incubi & succubi fiant Diaboli *11. An succubi
& incubi f-*
à multis inquiritur. Augustinus quidem & alij ex Ve- *lib. 15. ant.*
teribus negare hoc impudentiæ fore autumant *de Civit. c. 23.* Nos probabiliter tantum & minimè apo-
dictice concedi, I. posse judicamus, quod Diabolus
sensus nostros ita ludificet ut credamus existere, quod
minimè existit. II. Licet assumant corpora dæmones
sensibus utiq; exposita: generandi tamen potestatem
habere posse strenuè negamus. Ex spiritu enim crea-
to & homine generatio perfecta minimè consequi po-
test. Christus quidem à spiritu & muliere genitus ar-
gnoscutur: Sed à Spiritu & Sancto & increato natus
prædicatur. Cæterum si quando puerum opera dæ-
monis incubi nasci ex muliere contigerit, verè & sine
cerè judicemus cum pia antiquitate omnes mulieris
sensus astu diaboli sic constringi, ut temporis inter-
vallo omnia gravidarum signa in ea appareant. Ubi
verò partus hora institerit: iterum sensus falli, ut foe-
tus aliquis prodire existimetur, ubi tamen re ipsa nul-
lus est: aut si maximè verus conspicitur, aliunde sub-
latum & opera Diaboli suppositum credamus.

CXIII. Tandem etiam utrum salvandi aliquando *111. An sal-*
Dæmones sint, à non nullis subdubitatur. Origenes *vandi sint.*
quidem impios & omnibus flagitijs contaminatos ho-

D 2

mines

mines, postremò etiam Diabolum, atq; ejus Angelos,
post aliquot seculorum curricula purgatos & libera-
tos regno Dei ac luci restituendos judicavit. Verùm
damnationem malorum spirituum sine omni miseri-
cordiæ spe, æternam Christi verba ad impios *Matth.*
25, 41. satis satisq; arguunt. Cum & illis *Gen. 3.* male-
dictio omnibus diebus vitæ suæ duratura à Deo Crea-
tore iussu fuerit. Adeò ut pluribus inquirere non
opus sit. Faxit DEUS ter opt. Max. ut nos Creaturæ
suæ, illum nostrum creatorem toto pectore amemus
& colamus. Immundū verò hujus Mundi in malo siti
dominatorem, omni vi & virtute vitemus ut insidias
ejus effugiamus, & cum Sanctis illis Angelis, Angelis
cum illud *Esa. 6, 3.* canticum sonoris linguis ac-
cinere valeamus. Cui soli sit laus, ho-
nor & gloria in sempiterna
secula. AMEN.

F I N I S.



AB: 15067

ULB Halle
003 019 209


3



36.







2c

DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
CHRISTIANÆ ARTICULIS,
III.
De
CREATIONE MUN-
DI HOMINUM ET AN-
GELORUM
Quam
Favente primo fovente Numine
DEO UNO ET TRINO.
SUB PRÆSIDIO
VVOLFGANGI FRANZII,
S. S. Theologiæ Doctoris & Profels.
in illustri VVittebergâ publici
Collegis examinandam proponit
M. GOTTFRIDUS RULICHIUS
Dresdensis.
In Templo arcis
Ad diem 9. Octobris horis consvetis.
VVITTEBERGAE
TYPIS JOHANNIS GORMANNI.
ANNO M. D. CXI.

